QVAESTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE EXAMINANDA IN SCHOLIS Medicorum, die Iouis v. Februarij, Magistro Michaële De la Vigne Doctore Medico, moderatore.

An sanguineis actiones perfectissimæ?

HOMINIS anima suprema formarum, nec naturalis nec supra naturam, è sinu materiæ, ad quam immortalem habet ordinem, non educta, simplex licet, pro diuersâ organorum compage, & varietate functionum multiplex, tota in toto & vbique tota, quandiu in sepulchro corporis latet nihil agit sine corpore, ibi maximè adspectabilis vbi maximè idoneum nacta est instrumentum, huiusmodi est non tam vi conformationis, quàm probæ craseos, cuius ministerio cœlestis illa substantia gaudet ad promendos actus. Temperiem nullibi parem concinnant elementa quatuor, singula singulis qualitatibus insignita, cuiuslibet viuentis alimenta, δυνάμει tantùm futura post mixtionem, quam si quis accretionem, alterationem, generationem, aut compositionem dixerit, toto cœlo aberrat; Est enim mistilium alteratorum vnio, naturalis quidem, sed adeo obscura, vt soli Deo ac miscenti naturæ perspecta sit.

TEMPERIES vnione posterior, non forma mixti, vel actionum principium, non harmonia & concentus mistionis, sed qualitas quædam nata ex primis, ab ijsdem diuersa, singulari naturæ prouidentiâ ἢ κατὰ δικαιοσύνην alia atque alia sufficitur, pro varietate non modo specierum, sed & sexuum, ætatum, regionum: σταθμῷ autem temperatum in toto genere nihil est, nihil esse potest: ita homo mistorum omnium norma ab homine distat, & vir muliere calidior viuaciórq; est, adolescens puero, qui iuuenem calore vincit, temperatior: America cæteris mundi plagis. Temperamentum in humoribus vtpote medicis elementis apprimè elucet, ab eorum symmetriâ εὔκρατον, ab ametriâ δύσκρατον, pituitosum, biliosum, melancholicum.

OPTIMA temperies vbi, cæteris ad eum quem natura appetit modum redactis, sanguis dominatur: is vitæ principijs calido atque humido non absimilis, solus viuido rore fugacem corporis substantiam fouet, quæ ab insito calore elementari, humidum natiuum pingue & glutinosum absorbente siccaretur, nisi nutricis operâ tantam iacturam sanguis resarciret, nisi ex imperfecta mole ad perfectam secundum omnes partes dimensionem idem numero viuens extenderet. Aëreum illud nectar spirituum omnium seminarium, quoquouersum permeantis animæ sedes præcipua, non adamussim temperatum est, sed calidum humidum, quale decet esse quidquid viuit. Non alius à sanguine omnia φύσει καὶ ἀνάγκῃ peritura, vt immortalia sint, fœlici propagatione renouat, dum postremæ coctionis residuum vndique confluit in testes, à dextro, ἀρρενογόνον, à sinistro, θηλυγόνον semen proditurum.

A Sanguine vis & virtus: eo vigente vigent omnia, marcescente, occidunt: euanida partium viuacitas ne perniciter auolet, sanguis in sinistrum cordis sinum cum aëre per pulmonis arteriam traiecto delatus sui ad fluentes spiritus copiam facit, & perennem caloris fluxum instaurat. Sine sanguine nulla σύῤῥοια, nullus spirituum commeatus, nulla nutritio, frigus vbique, vbique mors. Quid? annon sanguinei vt paratiores ad venerem & ad cœlibatum minus idonei, sic mulieres roseo colore suffusæ fœcundiores? queis stata menstruorum (sine quibus ac viri satu nec mola nec fœtus) eruptio miros aduehit sobolescendi fructus. His principis animæ facultates re non sede disclusæ, meliores: his fidæ rerum species obuersantur, his summa vitæ moderatio & plusquam Alcedonia tranquillitas, mediocres libidinum stimuli, ira placabilior, comitas non vulgaris, verborum lepos & gratia, sensus integri, vegeti motus, pulsus æquales, placida respiratio, nutritio inculpata, cutis nec rara nec densa, sed fuliginum perspiratui sufficiens, non multa superflua, quæ naturæ lege probè excernuntur.

DEEST alijs aurea illa mediocritas. Pituita enim in sanguinem εὐμετάβλητος, fingendis inepta moribus, somnolentos parit, desides, minus agiles & expeditos, inediæ patientes, ἀδίψους, non emunctæ sed obæsæ naris, vix aut nunquam ad iram venerémve concitatos, vecordes, excrementorum sarcinâ onustos. Bilis humorum sal, amarulentos, dentatos & caninæ facundiæ, ingenij versipellis & πανούργους, præcipites, vltra modum salaces, siticulosos, queis terrifica somnia, nox inquies, ventris torpor omnium confusio. Succus melancholicus, calidi natiui labes, si quando superat, meticulosos, fortes: tristes, effusè hilares: morosos, pertinaces, taciturnos, loquaces: auaros, prodigos: plumbeo colore liuescentes, flatulentos, sputatores, libidinosos, & segnes ad venerem profert: vnde nihil magnum aut memorabile sperari potest.

Ergo sanguineis actiones perfectissimæ.

Asserebat Lutetiæ CAROLVS le CLERCQ Aurelianensis. A. R. S. M. DC. XV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

¶ *M. Philbertus Guybert.*
M. Joannes Pietre.
M. Joannes Cousin.

M. Hieronymus Goulu, Prof. Regius.
M. Symphorianus Hautin.
M. Henricus Blacuod,



M. Joannes Hautin. Med. Reg.
M. Henricus Blacuod.
M. Nicolaus Ellain. ¶